

tantur ebrietatem) sed quid tandem de his fiet? Sequitur: *Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendit fortes ejus et populus et sublimes gloriosaque ejus ad eum.* Justo enim Dei judicio, qui ad vinum absorbendum os suum aperuerunt sine termino satietatis, deglutientur ab inferno, qui et ipse aperiet os suum contra illos absque ullo termino, et bestias inexplebiles inexplebili vorabit ingluvie.

## CONCIO VIII.

## CÆREMONIE NUPTIARUM EXPONUNTUR.

I. Paranympus. — II. Annulus benedictus. — III. Stipulatio manuum. — IV. Stola circumflexus. — V. Sacrificium missæ. — VI. Benedictio novorum conjugum. — VII. Vinum amoris.

## THEMA.

*Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Joan. II.

Cum dilectum filium in exteram nationem dimittere a se parentes volunt, prius ei provident de rebus ad iter, præsertim periculosum, necessariis. Pater illi equum, servum, viaticum, vestes, arma dat: mater eum sacro amuleto munit, agno Dei ad collum appenso, addit electuaria, præscribit documenta et vivendi normam, etc. Simili provisionis sollicitudine dimiserunt a se Tobiam parentes in Rages civitatem, dederunt ei necessaria ad iter, adjunxerunt comitem, necnon et canem, impertierunt benedictionem, Tob. V. Periculosum iter est status conjugalis, multis ærumnis et difficultatibus refertum. Quare Ecclesia mater nostra, cum quem filiorum suorum ad statum illum dimittit, prius circa illum plures adhibet cæremonias, quibus ille partim juvetur et roboretur velut amuletis, partim instruat velut documentis. Sacrificium altaris offert, benedicit novos conjuges, jungit eorum manus colligatque stola sacra, munit ornatque annulo, adhibet paranympus, offert vinum amoris seu benedictionem S. Joannis. Prævidet enim immanes et prædaces pisces, prævidet Asmodæos, qui Tobie insidiantur et conjugibus: sollicitudines, ærumnas, tentationes, contra quas armare et instruere eos vult Ecclesia sacris illis ritibus, qui ut salutare illis fiant a nobis explicandi sunt.

I. Adhibentur paranympus, qui sponsam sponso adducant. Occasionem huic cæremonie videtur dedisse Deus, qui adduxit Evam ad Adamum, adeoque paranympus ejus fuit. Eecur vero, nisi ut doceret, Deum esse debere, non Asmodæum,

non Mammonam, non similes procos qui sponsam adducit sponso. Quod enim est oculus corpori, hoc est intentio seu paranympus iste conjugio. Si oculus simplex, rectus et lucidus fuerit, totum corpus lucidum erit. Si cæcus vel obscurus oculus, cæcum et obscurum corpus. Ita omninari licet de statu matrimonii, quod si laudabili fine et cum Deo ceptum sit, felix utique faustumque erit; sin aliter, miserum et ærumnosum.

Solent in paranympus communitè eligi juvenes, forma decori nullisque corporis defectibus obnoxii. Risum enim ciet, qui vel seniculum, vel cæcum, vel mancum, claudum, gibbosum produceret paranympum suæque sponsæ adjungeret. Qualis ergo paranympus, talis et intentio, quæ adducit te ad matrimonium, sit necesse est; liberorum scilicet procreatio ad Dei gloriam. Quod si paranympum habes vel habuisti, conjugis decorem et pulchritudinem, seniculum nactus es; quia Isaias: *Omnis caro fenum et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fenum, etc.* Isa. XL. Si divitias, gibbosum; quia quod gibbus est camelo, hoc homini sunt divitiæ, grave impedimentum ad ingrediendum per angustam cœli portam. Si potentum amicitiam, claudum; quia Jeremia teste, cap. IX. *Omnis amicus fraudulenter incedet.* Multa enim promittet, pauca præstabit, et quod maximum est, salutem, nec, si velit, præstare potest. Si præcise consilium vel hortatum amicorum, cæcum; quia in hoc negotio nemo non cæcutit, et cæcus cæcum ducit. Sola Dei gloria honestaque liberorum procreatio et educatio præclarus paranympus est. Hujus exemplar fuit servus Abraham Eliezer, qui jussus ab hero quærere et adducere sponsam Isaaco, ad precandum prius Deum recurrit, ubi talem invenire sponsam domino suo posset, quæ illi ex voluntate Dei placitura esset. *Domine Deus domini mei Abraham, inquit, occurre, obsecro, mihi hodie* (Hebr. *fac mihi occurrat*, talis scilicet filia, qualem Isaaco uxorem cupit Abraham) *et fac misericordiam cum domino meo Abraham,* Gen. XXIV. Hujusmodi etiam paranympa fuit Pulcheria Augusta soror Theodosii imp. quæ postquam summo studio fratri conjugem tanto fastigio dignam quævisisset, deprehendit Athenaidem, pauperem quidem, sed formæ elegantia simulque litteris politioribus necnon optimis moribus excultissimam adeoque talem, quæ nonnisi divinitus tanto imp. destinata videretur, ideoque a paterna hæreditate exclusæ esset, quod sufficerent illi animi dotes, Rader. in aula sancta.

II. Benedicitur annulus pronubus, quem sponsus inserit digito sponsæ annulari. Significat vero is fidelitatem quam sibi invicem promittunt

in facie Ecclesiæ. Nam primo, ex eo digito ferunt, tendere venam ad cor, ut scribit S. Ambrosius, l. de patriarchis; Gellius, l. X. Pierius, l. XXXVI. et XLI. Itaque in eo digito vincitur quodammodo et constringitur conjugis cor, ut conjugii fidem servet, adeoque quoties illum intuetur annulum, recordetur datæ fidei et meminerit corde præstare, quod promisit ore. Tamar illa Judam redarguit et conviciat fornicationis secum patratæ annuli indicio, quem arrhæ loco ab eodem acceperat: *Cognosce, cujus sit annulus,* inquit, Gen. XXXVIII. Pari modo annulus ille pronubus seu datus seu acceptus arguit eum conjugem, qui fidem alteri fregit. (Quæ enim in manu gerimus, crebro in oculos incurrunt nec tradi facile oblivioni possunt) quasi dicat: *Cognosce, cujus sit annulus.*

Deinde, annuli firmitas et rotunditas indicat fidem conjugalem firmissimam esse debere adeoque infinitam, morte sola finiendam. Olim apud Romanos, ut refert Plutarchus, in quæstionibus Romanis, qu. XXIX. cum sponsa introduceretur in domum sponsi, non licebat sponsæ transcendere limen domus: sed ea sublata transportari a pronubis consuevit, ad indicandum, quod exire etiam domumve sponsi deserere non deberet, nec ab ejus thoro separari, nisi vi ejiceretur, sicut vi est introducta. Hoc idem sibi persuadeant conjuges christiani, se nimirum e conjugii sui septo nequaquam exituros nisi per mortem efferrantur. Agrienses in Hungaria cives, anno 1562. a Mahomete Bassa gravissima obsidione cincti sexaginta millibus militum et multis promissionibus provocati ut se dederent, nihil responderunt, sed feretrum inter duas lanceas nigro panno velatum in mœnibus collocarunt, volentes indicare, si Turca urbe expulsus vellet, mortuos efferet, Maiol. tom. III. Canic. coll. II. Eadem fortitudine propositique tenacitate præditi esse conjuges debent, ut cum a dæmone, mundo, carne evocantur ad transiliendum conjugis sui scamma, animum obfirmant, nec nisi ab ipsa morte efferrî se patiantur.

III. Jungunt sibi mutuo dexteram, promittentes eo ritu sibi non solum desponsionem, verum etiam mutuum auxilium, quod sibi invicem porrigere maxime in adversis debent: necnon mutuum obsequium, quo se obstringunt, ut vir ea curet, quæ sunt patrisfamilias, uxor quæ sunt matrisfamilias. Equitatem reciproci hujus juris intellexerunt etiam veteres Romani, apud quos nova nupta sponso, cum in ejus domum introducebatur, dicebat: *Ubi tu Caius, ego Caia,* hoc est, ubi tu bonus paterfamilias fueris, ego bona materfamilias ero, teste Plutarcho, in quæst.

Rom. q. XXX. Intellexerunt et veteres Germani, dum novæ nuptæ ad domum suam deductæ offerebantur par boum eidem jugo alligatorum, ut refert Cornel. Tacitus, de moribus German. c. I. quo nuptam admonebant, sociam esse debere viro in trahendo familiæ jugo. Ergo vir sit quasi luminare majus et sol, qui interdum discurrit operaturque, uxor luminare minus et luna, quæ in tenebris lucet; prodeat vir foras curetque externa et graviora negotia, maneat uxor domi, foris non appareat, nisi urgente necessitate: *Domus curam habeat,* uti monet apost. ad Tit. c. II. et docuit etiam Plutarchus, quando mulierem voluit esse similem testudini, domoportam scilicet. Jucundus est pilæ ludus, quamdiu alter alteri pilam repercutiendo tradit: quorum altero cessante, statim cessat ludus et recreatio. Ita si vir sua curet, uxor quoque sua, jucundum erit conjugium; at vero si alteruter vel uterque officio suo desit, ibi desinit jucunditas. Optime colluserant Abraham et Sara, Gen. XVIII. Divertentibus enim ad se angelis, Abraham cucurrit ad armenta ut afferret hædum, Sara cucurrit ad culinam et coxit esculentam; ille foris, ista domi satagens rebus suis.

IV. Manus amborum stola sacerdotali circumvoluta quodammodo colligantur, quo sciant contrahentes se mutuo sibi devinctos esse, ita ut neque per adversa, neque per prospera separari ab invicem debeant, sed utramque fortunam una fortiter sustineant, quasi duo annuli sibi mutuo implexi. Mos olim Romanis erat, ut novis conjugibus præferretur aqua et ignis, et ab iis tangeretur. Causam reddit Plutarchus, in quæst. Rom. q. I. quia cum capitalis Rom. civium pœna esset interdictio ignis et aquæ, seu exilii (aqua enim et igne destituti migrare compelluntur) significare conjugibus voluerunt, alterum ab altero deseri non debere, sed eos in societate qualiscumque fortunæ persistere, etiam ita rebus ferentibus, ut præter ignem et aquam nihil boni una frui detur. Ita Hypsicratea Mithridatis regis conjux, habitu virili induta, tonsis capillis, militiæ assuevit, quo maritum semper insequeretur, et omnibus ejus periculis interesset ac laboribus, Valer. l. IV. c. VI.

V. Sacrificium missæ celebratur ex decreto Evaristi papæ, qui etiam ordinavit, ut in locis sacris benedicerentur conjuges, non in privatis ædibus. Ejusdem sacrificii in nuptiis celebrari soliti meminit Tertullianus, lib. II. ad uxorem ad fin. ubi ait: *Matrimonium Ecclesia conciliat* (id est copulat) *et oblatio* (missæ scilicet) *confirmat.* Eecur vero hoc, nisi ut auxilium Dei per id conjugibus imploretur? *Ab Jove principium,* dicebant genti-

les; cur non magis Christiani rem tanti momenti inchoent a Deo? Bene hoc expenderunt hodierni evangelii conjuges, qui in specie velut primarium hospitem invitarunt Jesum, ut indicant verba illa: *Vocatus est autem et Jesus*. Princeps igitur nuptialium convivarum debet esse Jesus, qui si defuerit, absque dubio conjuges vinum non habebunt, vinum, inquam, gratiæ, amoris reciproci, consolationis, fortitudinis ad perferenda quævis adversa; aquam bibere debent ærumnarum, lacrymarum, desolationis, zelotypiæ, etc. Prævidit Christi mater vinum peculiaris gratiæ necessarium esse conjugibus ad ferenda matrimonii onera; ideoque vinum eis postulat. De conjugatis ait apostolus, I. Cor. VII. *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi*. Aqua ergo tribulationis imminet conjugibus? Qualis est rei uxoriæ difficultas, onus uteri, partus dolores, educatio liberorum, labor et sudor in parando victu, familiæ apparatus et sustentatio, domestica dissidia, rixæ, curæ, zelotypiæ, separatio thori, orbitas, liberorum mors, necnon ipsorum conjugum, etc. Quisquis ergo has aquas in vinum verti cupit, Jesum ad nuptias invitet. Vinum roborat, exhilarat et consolidat corpora (cæmentum enim e vino confectum solidissimum esse dicitur.) Pari modo gratia matrimonialis roborat conjugatos ad ferenda onera, recreat ad pellenda tædia, compaginat et conglutinat ad cohabitandum.

VI. Benedictio sacerdotis accedit, saltem in primis nuptiis, ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, ut constat ex epistola prima S. Evaristi papæ et martyris ad episcopos Africanos, cap. XXX. qu. V. c. Aliter, III. q. V. c. Nullus, c. Nostrates, c. Sponsus. Ejusdem meminit etiam Hormisdas et Nicolaus primus, summi pontifices, et Concilium Carthaginiense, cujus est hoc decretum: *Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranympis offerantur. Qui cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant*. Porro ea benedictio representat imprimis benedictionem illam, quam impertit Deus Adamo et Evæ, Gen. I. Deinde postulat a Deo conjugibus uberem gratiam, fecunditatem, concordiam, pacem, omnemque prosperitatem in animo et corpore. Quæ quidem benedictio cum publica sit et nomine Ecclesiæ a sacerdote fit, magni utique æstimanda est; et effectum sortietur, nisi conjuges ipsi obicem ei ponant. Sed multi intelligere nolunt, quid sit benedictio, vel quis ejus effectus. Ergo exempli gratia effectus benedictionis est, cum quis modico sumptu et salario commode se suamque familiam sus-

tentat; defectus benedictionis, cum quis magnos inter reditus semper eget ac debet. Effectus benedictionis est, cum quis lacte unius vaccæ sustentare familiam solet; defectus benedictionis, cum quis alius eamdem vel parem trium vaccarum lacte alere non potest. Effectus benedictionis, cum quis sua pauperibus liberaliter communicat, interim abundat; defectus benedictionis, cum quis et aliena rapit, et nihil egenti tribuit, interim tamen eget. Quorum typum vidit in somnis Pharaon, Gen. XLI. boves pulchras et crassas nimis, quæ pascebantur in locis palustribus, ex una parte; ex altera boves fædas confectasque macie, quæ pascebantur in locis virentibus devorabantque boves illas crassas. Effectus benedictionis est, cum quis modico et vilis pretii cibo vescens semper bene valet, vegetus et speciosus est; defectus benedictionis, cum quis laute semper victitans, morbidus interrim, imbecillis et macilentus, quomodo Daniel et tres socii pueri jejunio addicti et vilibus enutriti cibis pinguioribus et speciosiores evaserunt cæteris adolescentibus, qui regiis alebantur dapibus, Dan. I. Effectus benedictionis est, cum quis ex alto cadit absque læsione; defectus benedictionis, cum quis in plano crus aut collum frangit, quo modo Heli cadens de sella retrorsum in pavementum, fregit cervicem, I. Reg. IV. cum e contra anno 1618. a rebellibus et hæreticis Bohemis, tres insignes imperatoris consilarii, per fenestras arcis altas quadraginta cubitis præcipites dati, incoolumes permanserint. Effectus benedictionis est, cum optatos, morigeros et speciosos liberos nansciscuntur conjuges; defectus vero, cum nullos vel immorigeros aut alii defectibus obnoxios. Propterea olim christiani conjuges tanti æstimantur sacerdotum benedictionem etiam privatam, ut ab obviis passim eam postularent. Eudoxia imperatrix cum ante partum a duobus episcopis inviseretur, his verbis eos prior salutavit: *Benedicite patres, etc. propter Dominum orate pro me, ut quod est in utero in lucem edam cum Dei benignitate, ut scribit Marcus Gazensis, in vita S. Porphyrii*. Justiniano imperatori benedixit S. Sabas; cum autem rogaret ut sua itidem conjux Theodora benedictionis particeps fieret, ipsaque adeo Theodora vehementer instaret, ut per preces et benedictionem suam, filium sibi a Deo impetraret, S. Sabas benedictionem quidem dedit, sed non quam illa optabat, in liberorum procreatione positam; sed tantum ut sospes et salva esset ejus potentia. Rogatus cur benedicere et precari noluerit ut Theodora sterilitate liberaretur, respondit: *Deus non sinet aliquem fructum ex ea edi, ne ipse quoque gustet Severi*

*dogmata et deteriores quam prius sub Anastasio tumultus conturbent Dei Ecclesiam*. Erat enim Theodora sectæ Acephalorum addictissima, Cyrillus in vita S. Sabæ, apud Surium, 5. dec.

VII. Vinum amoris seu benedictio S. Joannis, ut vocamus, novis conjugibus propinatur in signum et recordationem mutui amoris, quem erga sese mutuo adeo gerere debent, ut quemadmodum S. Joannes pro aliorum salute venenatum poculum exhaurire non dubitavit; ita et ipsi pro se invicem quævis adversa devorare, adeoque si necesse foret, mortem subire non detrectent. Alia animalium paria seorsim Deus creavit: Evam ex Adamo formavit, ut vir uxorem et vicissim uxor virum tamquam sibi parem et commembrum diligendum sibi sciat. Brachium objicies ictui, si quis te in latus, vel pectus ferire velit. Mulier e viri latere prognata est: huic ergo defendendæ se vir opponere debet. Præclarum ejus rei exemplum dedit Jacob, qui obvians fratri suo Esau, hosti manifesto, timuit non suæ, sed uxorum tantum salutem. Ait enim: *Valde eum timeo, ne forte veniens percutiat matrem cum fratribus*, Genes. XXXII. Celebrat etiam Valerius Maximus hujusmodi amorem, lib. IV. c. VI. in Tiberio Graccho, qui cum in ejus ædibus angues deprehensi essent, mas et femina, et super hoc consultus aruspex respondisset, si mare oceiso femella dimittatur, uxorem Gracchi Corneliam victuram, Gracchum moriturum: si contra, Gracchum supervicturum, jussit statim marem occidi, malens ipse suum, quam uxoris obitum videre.

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA.

- A Christo. — II. A Deipara. — III. A discipulis.
- IV. A sponso et sponsa. — V. Ab architriclino.
- VI. A ministris.

## THEMA.

*Haurite nunc et ferte architriclino*. Joan. II.

Sex hydræ fuerunt, e quibus haustum et potatum hodie vinum. Et totidem personæ sunt in hodierno evangelio, unde haurire possumus vinum bonum doctrinæ salutaris. Nobis enim Christianis prophetavit Isaias, c. XII. cum dixit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Fontes Salvatoris sunt, doctrina Christi, miracula, vitæ exempla, sacramenta, sancti. Haurimus vero in gaudio, quia licet aquæ videantur, dum a concionatoribus propinantur, vertuntur

tamen in vinum, cum a nobis hausæ in domum cordis inferuntur et bibuntur, non minus quam aquæ illæ, quæ haustæ a ministris in domum sponsi illatæ, versæ sunt in vinum, virtute Christi Domini. Nemo ergo detrectet haurire aquas istas. Et quia non omni tempore occasio est hauriendi, ideoque haurite nunc. Solent matresfamilias minimum semel in hebdomade haurire sibi aquam pro culinæ officiis. Faciat hoc unusquisque semel saltem in hebdomade: hauriat sibi doctrinam e sacra concione, unde coquat, edat, bibat.

I. Hydria prima Christus. A Christo discimus primo, quomodo succurrat in maximis demum angustiis. Sinit enim nos multoties prolabi in miserias, discrimina et desolationes, quosque agnoscamus spem in humanis non superesse, a solo Deo medelam expectandam, ut ita intelligamus, quam non in nobis ipsis, aut hominibus, sed in solo Deo confidere debeamus, eique gratias agere. Ideo distulit opem et miraculum Dominus, donec vinum omne defecisset, et ne rogatus quidem a matre, prius succurrere voluit; quia sic defectum vini non agnovissent, nec miraculum et beneficium Christi opitulantis observassent. Ob eamdem causam, cum omnis generis miracula perpetravit Christus, non legimus tamen aliquem mente captum ab eo curatum, quia talis non agnoscit morbum suum, et proinde nec agnovisset beneficium si restitutus menti fuisset. Ad eundem modum, quia non agnoscimus beneficium et annum illud miraculum, quo nos multiplicatis frugibus pascit, sed putamus esse naturale et necessarium, ideoque sinit interdum deficere panem, antequam messis redeat, vel perire in agris fruges; ut dicamus ipsum esse datorem panis, adeoque ipsum invocare, in ipsum sperare, eique grati esse. Uti experta est Susanna illa innocens, quæ falso accusata et condemnata flens suspexit in cælum, cumque jam duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum pueri Danielis, qui eam liberavit, Dan. XIII. Ita nimirum tribulatio docet efficaciter: oratio efficax impetrat Dei opem.

Secundo, quam liberaliter succurrat; siquidem vini defectum sex magnis hydris compensavit, quæ singulæ metretas binas vel ternas capientes simul junctæ integrum vini dolium conficiebant, et quidem vini præstantissimi. Sic etiam alibi panibus et piscibus ita saturavit homines, ut multum superesset, iisque tam bonis ac sapidis, ut propterea regem eum facere vellet. Unde patet quam pronus sit Deus, quantum est in ipso, ad dandum omnibus largiter, quamque libenter omnes homines saturaret be-

nis etiam terrenis, si id eis noxium non foret. Sed quia pauci hac affluentia recte uti norunt; ideo subinde eam nobis subtrahit, et penuriam immittit. Quemadmodum enim olim populus Hebraeus tempore abundantiae *incrassatus, recalcitravit, et dereliquit Deum factorem suum*, Deuteronomii XXXII. et Osee X. *iuxta ubertatem terrae suae exuberavit simulacris*, id est, serviit diis alienis eo impensius, quo victitabat lautius; ita et nunc populus christianus mancipat se vitiis, cum affluit bonis terrenis. Quod si horum convivarum instar temperare sibi nossent, aequale liberalem experirentur Deum, qui *dives est in omnes*; qualem et expertus est Job, cui post omnimodam spoliationem reddidit omnia duplicia, Job ult.

Tertio, a quo approbanda sint dogmata Ecclesiae, nimirum ab architriclino, id est, summo pontifice, qui est supremus Ecclesiae minister et *servus servorum Dei*. Ille primo gustare vinum doctrinae et approbare debet: quia gustandi virtutem, id est, assistentiam Spiritus sancti habet.

II. A Deipara discimus primo, efficaciam patrocini ejus: siquidem ad ejus intercessionem fecit Christus primum miraculum, et manifestavit gloriam suam, quod tamen nondum alioqui facere, sed in aliud tempus differre constituerat, uti colligit ex verbis Christi (*nondum venit hora mea*) S. Cyrillus in Joann. Ambrosius et alii. Deinde tribus tantum verbis tantum obtinuit id Maria: *Vinum non habent*. Nos coacervavit argumenta, non adornavit orationem, nutu tantum indicavit Filio penuriam, secunda de sua exauditione. Ac licet responsum accepisset, speciem negantis prae se ferens, ipsa tamen nihil diffusa jubet facere ministros, quod imperaturus erat Filius, quasi certa et jam praevidens, quod audienda esset a Filio. Denique si ausa fuit petere, et impetravit miraculum a Filio, quanto magis impetrabit nobis auxilia ordinaria?

Secundo, maternam ejus sollicitudinem pro egenis et afflictis, quia etiam non rogata pro egenibus intercessit et vinum impetravit. *Si hoc non rogata perficit*, (ait S. Bernardus Sennens. tom. III. serm. IX. art. III. capit. II.) *quid rogata perficiet? Si hoc viatrix existens, quid cum regnat in patria? Si hoc apud filium temporali morti subjectum, quid eum mortem superavit?* Et Sanctus Bernardus, serm. II. domin. praesentis: *Si compassa est veracundia illorum a quibus fuerat invitata: multo magis compatietur nobis, si pie fuerit invocata*. Verum ut efficaciter consequamur, quae nobis illa procurat, observanda est admonitio, quam ministris dedit: *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Idem enim nobis de caelo inlclamat, ut nostra obedientia et praecceptorum observatione cooperemur ejus

precibus; sic fiet absque dubio ut facientibus nobis quod vult Christus, faciat Christus quod nos volumus, et aqua tribulationis nostrae vertatur in vinum suavis consolationis.

III. A discipulis Christi discimus, quare firmiter in Christum credere debeamus; si enim crediderunt in eum (tamquam Deum videlicet, quia ut in virum sanctum et Messiam, jam ante crediderant, cum eum sequerentur) viso uno ac primo ejus miraculo: quis modo credere nolit, visis tot ac tantis, quae tum ipse, tum ejus virtute patrarunt sancti? Signa quasi sigilla sunt, quibus fides comprobatur; si ergo discipuli viso unico appenso sigillo crediderunt in Christum; quanto magis nos credamus, qui innumera videmus?

IV. A sponso et sponsa discimus moderationem adhibendam in apparatu et convivio nuptiali; quia in certa et modica quantitate vinum paraverunt, quod cum tempestive consumptum fuerit, finiendum fuisset convivium, et forsitan cum siti, nisi Christus defectum suppleret. Hinc factum ut convivae illi temperantiae limites non excederent, quod ex Christi discipulis colligitur, qui peracto convivio crediderunt in eum: proinde sobrii fuerunt. Itemque ex architriclino colligi potest, qui cum vinum Christi gustasset, optime adhuc noverat discernere a priore, quod non possunt ebrii. Hac enim de causa solent caupones primo, bonum vinum ponere, tunc id quod deterius est, quia ebrii nesciunt amplius discernere vina, cum obtusos et hebetes habeant sensus. Hunc ergo in modum sobria et moderata esse debent convivia Christianorum; ut tales a mensa surgant, quales considerunt, modesti, ratione et sensibus integri. Alioquin enim si hoc moderamen absit, contingere solet, quod Exod. XXXII. contigit Hebraeis: *Sedit enim populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere*. Ludus iste idololatriam, choreas circa vitulum, et secundum aliquos libidinem significat. Adde et discordias, quae tacite insinuantur, dum dicitur: *Sedit populus et surrexerunt*. Sedit ergo unanimis, surrexerunt vero divisi: sedit populus fidelis, surrexerunt idololatrae. Idipsum (proh dolor!) videre est passim in conviviis Christianorum; consistunt amici et quasi una anima: surgunt inimici et veluti canes ac feles; consistunt ut homines, surgunt ut bestiae, quasi e Circeo poculo bibissent. Taceo, quod nimia nuptiarum pompa et apparatu onerentur conjuges et ipsa resp. Unde Plato, lib. VI. de legibus, huic convivio modum praescripsit ejusmodi: *Inspensa secundum divitias fiat. Bibere vero usque ad ebrietatem, ne alibi quidem unquam decet*.

Ex hodierno convivii moderamine prodiit convivarum modestia. Nulla enim hic mentio fastus, clamoris, rixae, choreae, risus, ebrietas, etc. sed obedientiae, sobrietatis, fidei, charitatis, fiduciae, etc. Imo propterea adfuisse architriclinum, morum inspectorem, eumque sacerdotem asserit D. Gaudentius episcopus Brixiensis, auctor gravis et S. Ambrosio contemporaneus, tract. IX. « Nuptiae, inquit, apud Judaeos cum fierent, unus (quantum traditione comperimus) dabatur de sacerdotali ordine, qui morem disciplinae legitime gubernaret: pudorisque curam gereret conjugalis. Simul etiam convivorum apparatus ministros atque ordinem dispensaret, et pro hoc officio architriclinus, id est, triclinii praepositus dicebatur. » Sic ille. Omnia ergo modeste, graviter et decenter fiebant, prout decet etiam nuptias a Deo sanctificatas. Ita in nuptiis Tobiae: *Epulati sunt benedictes Deum*, Tob. VII. et c. IX. *Cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant*. Idem a potiori faciendum Christianis. Certe Concilium Laodicense sub annum Domini 364. can. 53. ita sancit: *Non oportet Christianos ad nuptias euntes vel saltare, sed caste cenare vel prandere, sicut competit Christianis*. Sed quis nescit, quam longe alia sint convivia nuptialia apud Christianos? Haec enim cum deberent esse sanctiora caeteris, magis sunt profana. Nemo hic mensam benedicere advertitur; sine praevia oratione omnes in patinas involant veluti pueriles, de ventre tantum pascendo cogitatur et discurritur; adhibentur moriones saepe obsceni: audiuntur clamores inconcinni et tumultus ebriorum: surgitur ad choreas, nec raro etiam ad rixas. Christus nuptiis finitis manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus: modo nuptiales convivae in fine manifestant ignominiam suam, ut nemo in eos credat. Quam nunc expediret constitui architriclinum aliquem morum praefectum, quemadmodum habuere Judaei!

Dices fieri etiam hic mentionem ebrietatis. Respondeo fieri non a Christo, sed ab architriclino, neque hic eam approbat: sed quid mundus agere soleat, recenset. Solet ergo mundus in conviviis se inebriare, sed vicissim solet Deus tales condemnare: *Neque enim ebriosi regnum Dei possidebunt*, I. Cor. VI. Deinde ebrietas in ss. litteris, non semper ingurgitationem, sed saepe saturitatem significat, uti Agg. I. *Bibitis et non estis inebriati*, Cant. V. *Bibite et inebriamini*, etc. Quis dicat ibi praecipere ebriosam ingurgitationem?

V. Ab architriclino discimus servire potius Deo, quam mundo, quia mundus primum bo-

num vinum ponit, tunc id quod deterius est, Deus contra agit. Praebent quidem, vel promittunt saltem mundi bona, dulcedinem aliquam, sed tandem relinquunt post se multo majorem amaritudinem, paupertatem, morbos, poenitentiam, confusionem, vermem conscientiae, gehennam; ac veluti flumina omnia dulcia sunt in alveis suis, tandem tamen in mare devoluta, amara fiunt: ita mundi deliciae, dulces aliquamdiu, labuntur in amaritudinem, et abripiunt tandem hominem in mare damnationis amarissimum. Contra aquae maris, quae per meatus subterraneos in fontes et lacus influunt, paulatim percolantur et exuta amaritudine, dulces fiunt, et ita se habent bona illa, quae suis apponet Deus, tribulationes, paupertas, morbi, esuries, etc. Sanctus Chrysostomus, in morali orat. VI. ad Hebr. ait: *Fluvii omnes suo in alveo dulces, ad mare tamen ubi decurrunt, semper amari*. Sensit id Antiochus, cum se mori arbitratus est, dicens: *In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiae, in qua nunc sum, qui jucundus eram et dilectus in potestate mea?* I. Macchab. VI. Sensit epulo ille, quem pater Abraham sic affatus est: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*, Luc. XVI. Vin scire vinum damnatorum: *Uva eorum uva fellis*, (ait Moyses, Deut. XXXII.) *et botri amarissimi: fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile*. Vin scire vinum beatorum? Audi Isaiam, c. XXV. *Facit Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium vindemiae defecatae*. Quam ergo insaniunt, qui fluxam hanc dulcedinem cum aeterna amaritudine commutant? *Ne intuearis vinum*, (ait Salomon, Prov. XXIII.) *quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, et in novissimo mordebit ut coluber*. Quod non de vino tantum, sed de omnibus mundi deliciis dictum intellige.

VI. A ministris denique discimus obedientiam perfectam; et primo quidem, caecam; jussit enim haurire aquam tam copiosam, paruerunt, licet ignorarent, quorsum id juberetur. Ita vir obediens sequitur mandantem, velut caecus ductorem suum, nec curiose inquirat, cur huc vel illuc ducatur.

Secundo, promptam, uti ex textu patet. Jubet enim Christus: *Implete hydrias aqua*, et illi impleverunt. Mandat Christus: *Haurite nunc et ferte architriclino*; hauserunt et tulerunt. Unde pulchram illam obedientiam, quam descripsit centurio: *Dico huic: Vade, et vadit. Et alii: Veni et venit. Et servo meo: Fac hoc, et facit*, Matth. VIII.

Tertio, accuratam; jussit enim implere hydrias,